DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
FEBRE
CONTINUA EPIDEMICA,
QUAE
HIBERNIAM
PER DUOS ANNOS AFFLIXIT;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS BELL, A. B. T. C. D.
Hibernus,
SOCIET. MED. T. C. D. SOCIUS.

Ministeria invicem, et contagia ipsa vulgabant morbos.
LIV.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT C. STEWART,
Academiae Typographus.
MDCCCXIX.

SOLOMONI RICHARDS,

ARMIGERO,

REGII COLLEGII CHIRURGORUM HIB. SOCIO,

CHIRURGORUM SENIORUM NOSOCOMIORUM

STEEVENS ET MEATH, COLLEGAE, &c.

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

HONORIS SUMMAE EJUS PERITIAE IMPRIMIS DEBITI

INDICIUM,

DEDICAT

ROBERTUS BELL.

NECNON

AMICO SUO SPECTATISSIMO

THOMAE HEWSON,

ARMIGERO,

REGII COLLEGII CHIRURGORUM HIB. SOCIO ET NUNC

PRAESIDI ET MATERIAE MEDICAE PROFESSORI,

EX CHIRURGIS NOSOCOMII MEATH, &c.

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

PARVUM TESTIMONIUM

GRATI ANIMI,

DICAT

AUCTOR.

☞ Pro *Nosocomio* ubicunque occurrit lege *Nosocomia.*

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FEBRE CONTINUA, &c.

PROOEMIUM.

In hac Dissertatione, de Febre Continua tractare proponitur, non quia sperare possum me aliquid rationi febris medendi additurum (quae, prae aliorum plurium morborum curatione, propemodum ad perfectionem deducta est) sed quia ad hoc mentem flectere adductus sum propter Febrem Epidemicam, quae per Hiberniam diu grassata est. Hujus morbi epidemici progressu et origine narratis, ejus naturam, causas et curationem, cum iis Febris Continuae generatim comparare operam dabo; sic demonstrare conans rationem medendi, in morbis epidemicis, ad praecepta immutabilia reduci non posse, sed mutari debere prout se mutant indi-

cia dignoscentia morbi, quae, epidemico diu durante, semper eadem manere sperari non possunt.

Ineunte aestate anni MDCCCXVII, Eblanæ incolae multum perturbati fuerunt rumore de febre contagiosâ per rura grassante; et, ut nonnulli putabant, per urbem ipsam. Tamen, investigatione diligenter facta, compertum fuit numerum febricitantium, in Nosocomio eo tempore admissorum, non modo non majorem esse quam solebat, sed etiam minorem quam in quibusdam prioribus annis.

Sed tametsi eo tempore parum febris erat in urbe, ruris conditio dissimillima erat. Febris Epidemica contagiosa in multis et remotis locis orta longe lateque grassabatur, pauperes praecipue afficiens, a quibus in urbem postea introducta fuit, nonnullis illuc congregantibus spe negotii consequendi, aliis febre laborantibus ad morbo remedium obtinendum. Ab eo tempore, suspicari licet, Epidemicam in magna urbe velocissime vulgaturam esse per plebem, tunc praecipue febris impulsui obnoxiam redditam, propter victûs (praesertim cibi, quo pauperes maxime uti solent) inopiam, et vitium eo

tempore et diu antea existentes, et inter quam in domiciliis sordidis, quibus aër purus accessum non habuit coarctatam, contagionem celeriter communicandam esse verisimile videtur. Verumtamen urbs a febre immunior, quam solita fuit, permansit; dum Epidemica per rura grassabatur; et etiam per aliquod temporis, postquam vici suburbani contagione infecti fuerunt, et postquam multi pauperes et febricitantes rure in urbem congregare coeperunt.

Causas hujus Febris Epidemicae investigare operae pretium duco, et quaerere quapropter rure, priusquam in urbe apparuit, tam diu saeviit; et, posteaquam intra urbem ingressa est, quamobrem non adeo celeriter diffusa fuit quam expectari debet per locum qui, propter incolarum numerum, et multorum ex iis magnam paupertatem, morbo maxime obnoxius, et contagionis propagationi aptissimus videtur. Haec explicari possunt narrando, quomodo se habuerunt eo tempore populi Hiberniae, et quae fuit pauperum ruris conditio cum eâ pauperum urbis comparata.

Tempestate frigidâ et humidâ aestatis et autumni anni praecedentis nempe MDCCCXVI,

adeo laesae fuerunt fruges ut victûs inopia magna, et qualitas vitiata inevitabiles posterâ hieme secutae sunt. Sic pauperes, tali cibo insalubri sese sustinere coacti, necessarie debilitati fuerunt, et inde febre affici magis obnoxii redditi, et nôn minus mentis oppressione, quâ tunc laborabant propter diras expectationes famis (ut illi putabant) supervenientis, quam depellere non potuerunt. Inter populum, ita se habentem, haud mirum est febrem oriri, et, propter proclivitatem generalem, Epidemicam fieri, praesertim quod prae desperatione ex hoc rerum statu oriente, multi ad contagionem arcendam, vel febre laborantes opem petendam, improvidi fuerunt.

Causae Febris Epidemicae rure primum ortae mihi videntur, quod ibi pauperes magis et citius occupationis defectu affecti fuerunt, et ita collocati ut minus facile levari potuerunt quam ii in urbe, qui, oriente Epidemicâ, quantum fieri potuit (ad indigentiam eorum sublevandam) in operibus publicis occupati erant; sic meliore victu utentes et aëra puriorem respirantes quam si otiosi domi mansissent parum contagioni fuerunt obnoxii, quâ de causâ Fe-

bris Epidemica Eblanae non apparuit, donec per rura plusquam quatuor menses grassata est; ab eo tempore vero augentibus pauperum angustiis, augente quoque numero eorum rure venientium (e quibus multi febre laborabant) et contagionem secum afferentium, Febris Epidemica, inito mense Septembre anni MDCCCXVII, in urbe plane apparuit. Et tunc etiam febris adeo celeriter ut suspicari posset non vulgata fuit, propter cautiones ad ejus progressum reprimendum adoptatas, nempe, illico infectis ad nosocomia admovendis et habitationibus eorum detergendis, et per eas aëre puro transmittendo, et similiter purificandis locis omnibus ubi sordes congestae fuerunt, vel ubi populus nimis coarctatus fuit, ideoque febrem oriri verisimile sit. Tamen Epidemica, quum semel sese stabilivisset, ob naturam ejus contagiosam velocissime diffusa fuit, adeo ut nosocomio, etsi multa et ampla, brevi tempore impleta fuerunt, et aedificia nonnulla publica, ad augentem numerum febricitantium admittendum, in nosocomio ad tempus convertere, opus fuit.

Quanquam tam magnae cautiones ad hanc Epidemicam supprimendam adoptatae fuerunt,

etsi multi inspectores medici (qui diligentissime munere functi sunt) ad valetudinem publicam inspiciendam et contagionis incremento obviam eundum, non permittendo eos febre laborantes in propriis habitationibus permanere, (quod multi alioquin fecissent,) tamen morbus in dies ingravescere et generalior fieri perstitit, absque ulla remissione evidente, ab ejus origine initio aestatis anni MDCCCXVII usque ad finem anni sequentis, quando evidenter decrescere coepit.

Etsi tam diu ingravuit haec Febris Epidemica, nullo tempore formam valde malignam sibi assumpsit; sed, potius prout generalior, sic lenior fieri visa est. Interdum, vero, indiciis nonnullis gravioribus, diversis tempestatibus anni propriis, comitata fuit. Saepe observatum est nonnullos morbos, qui Epidemici fieri solent (qualia pestis et variola,) calore vehemente vel frigore magnopere cohiberi; tamen hujus Febris Epidemicae progressus variationibus coeli temperiei retardatus non fuit; sed, contra, per totum cursum ejus, morbus sine intermissione magis ac magis generalior evasit.

DE DEFINITIONE.

Morbum Epidemicum de quo agitur, sub classe Pyrexiarum et ordine Febrium Continuarum comprehendi debere procul dubio est: sed de genere sub quo ordinaretur, opiniones variae sunt, nonnullis eum typhum appellantibus; aliis, febrem epidemicam tantum esse, quibusdam typhi indiciis comitatam, existimantibus. Opinionem posteriorem praeferendam esse censeo, quia haec febris inter progressum ejus tantum mutavit, ut definitio nulla accurate ei applicari potest. Sed minime typhi definitio ei morbo applicari debet, quippe in multis exemplis indiciis inflammationis comitatus fuit, ideoque nonnulli putaverunt definitionem synochi "Morbus contagiosus. Febris ex Sy-"nochâ et typho composita, initio synocha, "progressu et versus finem typhus,"* ei conventuram esse. Sed, etsi haec Febris Epidemica saepe synocho similitudinem habuit,

* Cullen Synopsis Nosologiae.

tamen aegri constitutione et anni tempestate tantum mutata fuit, ut haec definitio parum apta mihi videtur.

INDICIA MORBI.

In hoc Epidemico indicia ab iis Febres Continuas plerumque comitantibus non multum discrepuerunt. Aeger, etsi biduum aut triduum ante febris aggressionem languore et lassitudine affectus, morbo obniti tamen, et occupationes quotidianas suscipere, potuit ; sed cito concedere coactus fuit prae debilitate, quae, ineunte morbo, saepe ingruit. Primum de frigore et horrore et nonnunquam de vertigine conquestus est aegrotus ; haec indicia brevi tempore aucto calore secuta fuerunt. Doluit caput, dolores motu aucti totum corpus praesertim dorsum et artus invaserunt. Facies initio morbi saepe rubra et tumida fuit.

Aeger etsi non multum appetivit tamen cibi quantitatem consuetam primum sumpsit, sed supervenit nausea, et nonnunquam vomitus. Albescebat lingua, sed sitis nondum erat urgens. Ictus arteriarum frequentiores evase-

runt, tamen non semper debiles, contrá saepe validi et duri, diathesin phlogisticam indicantes, et tussi, dolore thoracis, respirationeque laboriosâ comitati. Indiciis ita se habentibus, sanguis emissus superficie coriaceâ obtectus fuit.

Incipiente morbo alvus irregularis erat, fere adstricta, sed interdum soluta, cum dejectionibus frequentibus, liquidis et biliosis. Urina speciem variam tulit; modo pallida fuit, modo rubra, vel turbida, et sedimentum furfuraceum deponens; sed plerumque parca. Progrediente febre, multum de siti questus est aeger; lingua arida et sordida fiebat, aliquando fusca: nausea, et cibi praesertim animalis fastidium aderant.

Provecto febris statu indicia magnopere ingravescere coeperunt. Ictus arteriarum frequentiores, debiliores et nonnunquam irregulares evaserunt. Lingua sicca, et nigra fissuris divisa fuit. Labia et dentes sordibus tenacibus oblitae fuerunt. Cutis fervida et arida. Oculi, turgidi et inflammatione affecti, lucem tolerare nequiverunt. Suspiravit aeger, et praecordia ei oppressa fuerunt. Epigastrium et abdomen pressa doluerunt. Noctes vigiliis con-

sumpsit; vel, si dormivisset, somnus eum non refecit. Tinnitus aurium et surditas (saepe principio febris supervenientes et ad finem usque durantes) mussitatione et delirio vehemente secuti fuerunt. Delirio saepe successerunt sopor, et alia cerebri compressi indicia, pupillae oculi dilatatio, et recta detrudendi linguae impotentia propter musculorum unius lateris paralysin.

Tempore febris incerto, maculae rubrae vel lividae, quae petechiae appellantur, in pectore, brachiis, aliisque corporis partibus, frequenter sese ostenderunt: hae maculae humorum putredinem indicare nonnullis creduntur; sed alii, eas extravasationes esse minutas ex debilitate vasorum extremorum orientes, putant. Petechiae, qualiscunque sit earum natura, regimine calefaciente gigni et contrario methodo submoveri observantur; sed in hoc Epidemico non prorsus ita fuit; nam in plurimis aegrotis, qui ex initio febris aëri frigido et puro expositi fuerunt, petechiae sese ostenderunt.

Versus morbi finem si exitus fatalis immineret, putredinis signa apparere coeperunt. Petechiae e rubris lividae vel nigrae evaserunt.

Anima graviter oluit. Foeces nigrae et foetidae, inscio aegro, redditae sunt; ut et urina, quae sedimentum fuscum et graveolens deposuit. Partes quibus vesicatoria applicata fuerunt, in gangraenam nonnunquam abierunt: Sudor frigidus et glutinosus faciem pectusque texit: Remisit pulsus et imminuit; refrixerunt extremitates. Et tandem mors miserum e medio sustulit.

Ex his indiciis quidam non semper sese ostenderunt sed certis tempestatibus anni propria fuerunt. Aestate anni MDCCCXVII, Epidemico tunc vulgari incipiente, petechiae frequentissime apparuerunt; ab eo tempore, usque ad ver anni sequentis, epigastrii affectio dolorosa omnibus fere aegris adfuit. Dysenteria, autumno anni prioris, febrem nonnunquam comitavit, sed frequentius autumno anni posterioris. Pulmonum affectiones omnibus fere tempestatibus, sed vere praecipue, adfuerunt. Dolor capitis plerumque in omnibus aegris per totum annum Epidemici indicium constantissimum fuit.

DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Febris nec sexui, nec aetati, nec conditioni parcit; sed aetate florentes propter majorem eorum mobilitatem, potius quam senes aut infantes, vastationibus hujus morbi obnoxii sunt.

Quaecunque corpus debilitant et irritabile reddunt, inter febris causas enumerantur, sicut morbus prior; defatigatio; inedia diuturna; diaeta parca vel vitiata; inquies diu protracta; intemperantia; inanitiones immoderatae; caloris et frigoris subitae vicissitudines; quaedam animi affectiones, ut moeror, timor, anxietas.

Invadit inprimis eos qui vitam sedentariam ducunt, et idoneam corporis exercitationem omittunt. Afficit praesertim eos, alimento necessario pro labore suscepto, privatos, vel munditiam negligentes: hinc inter pauperes in urbibus coenosis coarctatos celeriter et vehementer grassatur; terrorem quoque contagionis recipiendi multos impulsui ejus obnoxios reddere observatur.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Causae excitantes febris non semper accurate detegi possunt. Causae fere enumeratae, sunt, frigus subito corpori admotum; calor cum humiditate conjunctus; effluvia ex materiis animalibus vel vegetabilibus putridis orientia. Etiam exhalationes ab humano corpore vivo manantes, si diu in eodem loco coarctatae sint, acres fiunt et febris excitandi vim habent. " Dum spirat homo lethale sibi aliis-
" que spirantibus venenum fundit. Neque so-
" lus pulmonis halitus adeo nocet: manat ab
" omni cutis foramine materia subtilissima,
" venenata, fortasse putrescens, quae diu col-
" lecta, neque per auras diffusa, et corpori
" denuo admota, aut iterum in id ipsum re-
" cepta, gravissimis morbis inficit; nec sistit
" gradum, sed veluti vires per pabulum nacta,
" longe lateque per populos grassatur." *

---

* Gregory Conspectus Med. Theor. sec. LIX.

Ex harum exhalationum coarctatione oritur contagio, quae cuivis vel ab corpore febricitantis directè admota, vel vestibus, stragulis, &c. delata, febris causa frequentissima est.

Nonnulli, febrem contagione communicari posse negant, forsitan quia morbum ab eâ originem coepisse non semper pro certo habere possumus, et quia contagionis applicatio febrem non semper inducit; applicatio ejus per aliquod temporis et causarum praedisponentium consensus fortasse necessarii sunt. Aliquis, morbi Epidemici de quo agitur, progressum observans, de naturâ ejus contagiosâ nil dubitaret. Etsi hunc morbum contagione multum vulgatum esse, tamen ex eâ originem traxisse non censeo. Causae excitantes, fuerunt, ut mihi videtur, coeli intempestas diuturna; victûs inopia consequens; et animi moeror, quo laboraverunt populi. Etsi hae causae potius praedisponentes apparerent, tamen in hac Febre Epidemicâ eas potius pro excitantibus habeo, quia hic morbus in ruris partibus multis et remotis, eodem fere tempore ortus est; sed si contagio causa fuisset excitans, potius in urbe primum apparuisset, ubi accu-

mulatio effluviorum animalium magna est, et aër impurus.

DE DIAGNOSI.

Inter hanc Febrem Epidemicam et alias Febres Continuas Diagnosin manifestam ostendere impossibile mihi videtur; nec (si fieri possit) ullum commodum practicum hinc oriturum esse credo; nam nulla ratio medendi immutabilis indicari debet in hoc Epidemico, qui in diversis partibus progressus ejus, anni tempestate nonnihil, et aegri constitutione multum mutatus fuit, ideoque multam medendi rationis variationem postulavit.

PROGNOSIS.

Crisis, quoad diem quo incidere et modum quo effici solebat in hoc Epidemico, insignem varietatem praebuit: ex ratione medendi multùm pendere mihi visa est, nam crisis citius aut tardius plerumque supervenit, prout ratio medendi magis aut minus strenua fuit. Crisis die non critico saepe incidit, sed si die critico, fere

undecimo, decimo quarto, decimo septimo et nonnunquam vicesimo. Quidam aegri, tamen, qui, incipiente febre, in nosocomio admissi remediis efficacissimis usi sunt, crisin tertio die obtinuerunt; sed morbo recidivo valde obnoxii fuerunt, quibus crisis ante diem septimum incidit.

In omni Febre Continuâ spem rediturae valetudinis habere licet, ubi pulsus plenior et firmior, ad velocitatem ejus naturalem appropinquat; cum os non amplius sordibus oblinatur, et lingua albescat, et madida fiat; ubi sudores calidi, modici, et per totum corpus diffusi, caloris et sitis diminutione comitantur. Faustum est si dejectiones leves sint, urinaque turbida et copiosa sedimentum deponat. Eventum quoque felix augurare licet, ubi vultus non multum a naturali mutatur, ubi levantur coma, stupor, aliaeque cerebri affectiones, et appetitus somnusque redeunt. Surditas, praecipue si tinnito aurium successisset, fausta plerumque habetur, tamen in hoc Epidemico infausta esse visa est, nam in gravissimis morbi exemplis, et indiciis infaustissimis comitata, supervenit.

Signa autem quae eventum funestum praesagiunt, sunt, pulsus frequens, debilis et abnormis ; tremor linguae vel eam detrudendi impotentia ; subsultus tendinum ; sudores foetidi ; urinae et faecum evacuatio invita, quae sphincterum paralysin indicare creditur, sed saepius ex sopore impotentiam vel negligentiam surgendi inducente oritur. Ubi quoque facies Hippocratica se ostendit ; ubi vehementer delirat aeger et perpetuo mussitat ; supinus decumbit, nec die nocteve dormit ; ubi floccos in stragulis legit, aut muscas ante oculos volitantes se videre queritur, et ad eas amovendas manus extendit, mortem non longe abesse praedicere licet.

RATIO MEDENDI.

Primo febris impetu, ad eam incidendam multum laudantur medicamenta vomitoria, etsi ex eorum usu effectum optatum non semper obtinere possumus, tamen emetica non solum secretiones vitiatas, quibus ventriculus oneratur, ejiciunt, sed etiam sudorem eliciunt. Remedia vomitoria praeferenda sunt, quae ventri-

culum citissime movent, qualia Ipecacuanha et Tartras Antimonii. Sed remedia efficacissima sunt sanguinis detractio et medicamenta cathartica.

Sanguinis detractionis magna utilitas, in Febre Epidemica de qua agitur plane apparuit. Hujus remedii usus, faciei rubore, cutis calore, siti et secretionum defectu indicata fuit, et sanguinis missi specie, levationeque aegro redditâ, confirmata. Sanguinis detractionis usus frequens et utilitas in hujus Epidemicae curatione, ex multorum mentibus, praejudicium de hoc remedio utilissimo, submoverunt. Venae sectio praecipue in usu erat, et maximum commodum producere comperta; nam non tantum sanguinis circulationis vim, et febris vehementiam conpescuit, sed etiam medicamenta cathartica et sudorifica post sanguinis detractionem efficaciora esse observata fuerunt.

Etiam, cùm fuisset sanguinis determinatio ad aliquod viscus, venae sectio detractione sanguinis speciali saepe utilior fuit. Sed, ut nonnunquam fuit determinatio ad caput, ubi sanguinis quantitas, quae doloris remotioni suffice-

ret, a circulatione generali sine periculo detrahi non potuit, tunc arteriae temporalis sectio, sanguinis detractio per cucurbitulas vel hirudines, cum bono effectu substitutae fuerunt. Venae sectionis repetitio raro necessaria fuit, nisi affectae fuissent pulmones; aliorum viscerum affectiones, si venae sectione semel adhibitâ non sublatae, detractione sanguinis speciali multum et celeriter levatae fuerunt.

In usu sanguinis detractionis cavendum est ne eos imitaremur, qui sanguinem sine discrimine et magnâ quantitate detrahunt; nam, se ita febri mederi, nonnullos affirmare audivi. Principio morbi et moderatè, sanguinis detractione uti debemus, nisi cum supervenisset inflammatio; tunc toties repetenda est, quoties indicia poscunt. In hac Febre Epidemica sanguinis detractio versus morbi finem perniciosa fuit, et interdum fatalis; sed, morbo recidivo, utilitas ejus constabat.

Remedia proxima et non minoris momenti sunt cathartica. De administratione remediorum purgantium in febris curatione non amplius inter medicos disputatur. In medicamentorum catharticorum administratione, acri-

ora non eligere cavendum est, ne intestina nimium stimulata, mitioribus non cedant. Observatum est in hac Epidemica, cathartica salina ad linguam detergendam inefficacia esse; Submuriatem Hydrargyri, autem, membranae mucosae secretiones emendantem, linguam madidam et mundam reddere. Ubi supervenerunt tormina ventris, haustu Olei Ricini cum Tincturâ Sennae plerumque sublata fuerunt. Idem remedium, si ventriculo non rejectum, fomentis calidis adjuvatum ad tympanitam removendam efficacissimum fuit. Sed, si effectus optatus hoc modo non adeptus fuisset, enema catharticum cum commodo exhibitum fuit.

De medicamentorum sudorificorum utilitate in febrium curatione, medicis variae opiniones sunt, nonnullis ea perniciosa vel inefficacia putantibus, aliis magnam eorum utilitatem laudantibus. Hanc opinionum discrepantiam, ex observatione sudores profusos in febre multum nocere, ortam esse verisimile est. Sed usu sudorificorum modico, stimulantibus evitatis, calor corporis multum diminui potest.

In hoc Epidemico etsi frequenter exhibita fuerunt sudorifica tamen medici iis non multum confisi sunt; et vix necessaria fuerunt cum aquae frigidae affusio vel ablutio frigida applicari potuisset, quoniam harum usu calor cutis efficacissime diminutus fuit; sed, ut in febre crisis per sudorem saepe efficitur, ubi ad diaphoresin proclivitas observata fuit, eam remediis sudorificis adjuvare utile fuit. Sed cutis saepe praefervida et arida sudorificis non cessit, tunc venae sectio et aquae frigidae affusio, ad sudorem eliciendum vel cutem ita relaxandam, ut sudorifica agere potuissent, utilissimae fuerunt.

Aquae frigidae affusio in febris curatione tantum laudata, propter frequentes pulmonum affectiones, in usu generali non fuit, sed cum ejus applicatio tuta esset, remedium utilissimum comperta fuit; vim sanguinis circulationis et cutis calorem diminuit, sudorem quoque elicuit; sic tantum levationis afferens, ut aegro cui prius insomnes fuerunt noctes, somnum reficientem comparavisset. Quoque ad delirium vehemens compescendum, aquae frigidae affusio remedium utilissimum fuit. Aqua alio

et faciliori modo applicata fuit, nempe ablutione aquâ tepidâ vel frigidâ interdum cum aceto admistâ, remedium commodissimum et gratissimum ubi affusio vel non debet vel non potest applicari. Aqua frigida quoque, in ventriculum recepta, nonnihil commodi habet, ventriculum corroborat, sudorem et urinae secretionem promovet.

Vix opus est dicere usum aëris puri et frigidi in hujus Epidemici curatione fuisse generalem. Aëris puri utilitas in febris curatione nunc tam universe confitetur, ut remedium prorsus necessarium habeatur, sine quo medicamenta parum utilia sunt. In quibusdam exemplis crisis aëris puri applicatione induci videbatur, nam aegri nonnulli, postquam in nosocomio admissi fuerunt, statim convalescere coeperunt.

Vesicatoria utiliter ad affectiones locales levandas applicata fuerunt: ubi dolor epigastrii venae sectioni vel sanguinis detractioni speciali non cessit, vesicatorii applicatione plerumque sublatus fuit. Quoque, pulmonibus affectis, vesicatoria sanguinis detractionibus auxiliatores utiles adfuerunt. Si dolore capitis acuto

et pervigilio afficeretur aeger, vesicatorium capiti admotum adeo dolorem mitigavit, ut somnus brevi tempore supervenit. Interdum aeger, ubi convaliturus apparuit, subito in soporem mortem minitantem relapsus est; ex hoc statu periculoso, vesicatorio amplo capiti admoto, nonnunquam excitatus fuit. Sopor minus periculosus, vesicatoriis suris applicatis, et medicamentorum stimulantium administratione, fere sublatus fuit. Vesicatoria quoque capiti vel suris admota et remediis cardiacis adjuvata, ad delirium mite tollendum valde efficacia fuerunt.

Opium praeterquam somni inducendi, quoque delirii (modo non fuisset vehemens vel inflammatione comitatum) levandi gratiâ adhibitum fuit. Dolor capitis gravis, qui remediis usitatis, nempe sanguinis detractione, vesicatoriis, catharticis, &c. levari non potuit, nonnunquam Opio cum Submuriate Hydrargyri cessit; hoc remedium, in portionibus exiguis subinde repetitis, adhibitum fuit, sed non ad salivae provocationem. Hydrargyrum, adeo ut salivam moveret, adhibitum, aegris multum nocere observatum fuit. Quamobrem, (etsi

nonnullis medicis in curatione febris multum laudatum) nisi pro cathartico, parum usurpatum fuit. Doctor Cheyne, de hoc Epidemico tractans, duas morbi modificationes exponit, in quibus Opium cum Submuriate Hydrargyri utilissimum esse observavit, et has modificationes sic describit: "When the fever was charac-
" terised by dun petechiae, vigilance, delirious
" nights, confusion of thought, flushing of the
" countenance and eyes; when there was a
" faltering voice, some frequency and irregu-
" larity of the respiration, quick unsteady
" pulse, scanty secretions, without great ab-
" dominal tension, calomel with opium was of
" signal service. 2dly, In an affection of the
" stomach, which was not uncommon during
" the epidemic. After excessive irritability
" of the stomach, which had been quieted by
" venesection or leeches, and sulphate of mag-
" nesia in infusion of roses, the patient some-
" times fell into a state of great prostration,
" indicated by a pale, anxious, collapsed coun-
" tenance, with a desponding mind, which
" seemed on the verge of low delirium, a
" quick, unsteady, and weak pulse, and an iron

"grey colour of the tongue, which was dry, "rather swollen, but scarcely furred." *

Ubi medici nil laboraverunt nisi ut putredini, quam adeo in febre timuerunt, obviam irent, vinum et remedia antiseptica efficacissima existimata fuerunt. Sed remedia hujusmodi, medici peritissimi nunc meritò spernunt. In hujus Epidemici curatione pauci medici, morbum Typhum esse credentes, ideoque evacuantia et debilitatem ex eorum usu orituram timentes, vini usui multum confiserunt. Quoniam morbus plerumque mitis fuit, vini usus modicus raro multum nocere potuit. Sed vini viribus nimiam fidem habere, rationem medendi inertem inducit, et negligentiam in utendis idoneis evacuantibus, quae, initio morbi adhibita, ad debilitatem impediendam vino multo efficaciora sunt. Sed vini usus ab iis medicis qui remediis validioribus confisi sunt non prorsus rejectus fuit. Versus febris finem cum nulla inflammationis indicia adfuissent, et

---

* Dublin Hospital Reports, vol. 2.

lingua munda et madida, si debilitatus esset aeger, vinum magno cum commodo adhibitum fuit. Vinum praeterquam vires aegro suppeditavit quoque cum stimulantibus remediis conjunctum in delirio miti vel stupore tollendo utilissimum fuit. Quoniam vinum quibusdam aegris ingratum fuit, cerevisia vel spiritus destillati nonnunquam substituti fuerunt.

Affectionum morbidarum viscerum quae, incisis cadaveribus, apparuerunt, nonnullae morbis, quibus aegri ante febris impetum laboraverunt, evidenter inductae fuerunt. Sed aliae ex febre ortae sunt. Inter has, cerebri affectiones longe frequentissimae fuerunt; cerebri et saepius ejus membranarum vasa sanguine turgida; effusiones seri vel sanguinis inter membranas vel in ventriculis cerebri inventae fuerunt; et interdum cerebrum ipsum durum praeter naturam visum est. Hinc dolorum et aliarum capitis affectionum in hoc Epidemico frequentia. Caetera viscera raro adeo morbida apparuerunt ut, ex indiciis, quae, durante febre, urgebant, expectari debuit. In iis, qui dolore epigastrii praecipue laboraverunt, suspicari licuit ventriculum morbo mag-

nopere affectum post mortem inventum iri, sed saepe sanus apparuit et raro magna morbi signa tulit, nonnunquam tamen in membranâ ejus mucosâ inflammatio plerumque in maculas disposita sese ostendit. In pulmonibus (quarum affectiones frequentes fuerunt) sanguinis congestus haud raro inventi fuerunt; et adhaesiones amplae inter pleuras formatae, inflammationis praecedentis vehementiam ostenderunt. Membrana mucosa bronchiarum inflammationis signa saepe tulit, et interdum materiâ purulentâ oblita fuit. Jecur plerumque sanum apparuit, nisi morbis prioribus vel vitae genere affectum fuisset; nonnunquam congestus sanguinei et biliosi observati fuerunt in jecoribus eorum in quibus indicia nulla Icteri se ostenderunt; et, contra, in quibusdam eorum qui, Icteri indiciis se ostendentibus, mortui sunt, jecur et caetera viscera abdominis sana fuerunt. Quum Epidemico adjuncta esset Dysenteria, membrana mucosa ventriculi et intestinorum mollis et inflammatione affecta apparuit. Sed saepe, cum ex morbi indiciis suspicari potuit mutationes fabricae morbidas in quibusdam visceribus post mortem apparituras esse, dis-

sectione factâ, viscera omnia prorsus vel propemodum sana inventa fuerunt.

Indiciorum gravium quae hunc Epidemicum nonnunquam comitabantur causas explicare difficile est, visceribus sanis apparentibus, nisi existimamus, mutationes fabricae morbidas vix vel minime percipiendas, vel sanguinis distributionis vitia levia, functiones visceris affecti graviter perturbare posse: sed si ita res se habeat quomodo causas explicare possumus cur affectiones viscerum morbidae, post mortem detectae, durante morbo indiciis congruentibus non semper indicantur? De his parum certi constat.

FINIS.